12

AETERNAE MEMORIAE
LVDOVICI XIII.
FRANCIAE, ET NAVARRAE
REGIS CHRISTIANISSIMI
ANGLI PROFLIGATI:
RVPELLA EXPVGNATA.



ROMAE, Apud Iacobum Mascardnm. MDCXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Ad Illustriss. & Excellentiss. D.

P. DE BETHVNE

EIVSDEM S. MAIESTATIS

Apud Sanctissimum D. N.

VRBANVM VIII.

S. PONTIFICEM

LEGATVM.



T vetus sic vera est sententia. L. E. *Satis citò*, vel, *nunquam serius, si benè*. Dormitare visus sum in vltima communi alacritate: tandem qua nescio via excitatus, compenso tarditatem: Si non bonitate, at certè scriptionis tali quali numerositate: Alia homini mancipato strictioris vitę obseruantijs cogitãda, alia facienda, quàm versus. Saltus fuit iste ingenij, cui similem non feci ab annis quindecim nisi vnum, ex occasione scilicet euectionis S. D. N. nunc fęliciter sedentis, & du-

dum ſeſſuri,ad S. Pontificatum. Arguet me forſan aliquis, quod vel ſemel de talibus cogitem: At meritum cauſę plus ęquò me excuſat, deffendit, iuſtificat. Faciant, qui facere debent & poſſunt, melius: At lætabor ipſorum animos irritaſſe. Non alteri quàm tibi L. E. Poema debebatur: quia alter quàm tu perſonam vt Chriſtianiſſimi ſic ſemper Inuictiſsimi Regis hacce in Romana Curia non repręſentat: quod quàm dignè facias: quis neſcit? Benè faue, & vale.

VIVAT REX.

Fr. Ambroſius Lexouien. Tertij Ord. S. Franciſci Gongreg. Gallicanæ Sacerdos profeſſus: Guard. Conu. B. Mariæ Miraculorum de Vrbe.

ANGLI PROFLIGATI, RVPELLA EXPVGNATA CARMEN.





EX summa est populis, quam ius stabiliuit vtrumque,
Quà sine mortales inter vix vlla vigere
Gratia, pax, requies, amor, aut commercia possunt:
Cuiq; bonum istius vitæ quodcunque caducæ,
Conuictusq; lepos humani innititur omnis.
Scilicet vt Dominis humiles parere Supremis
Detrectent nusquam, nusquam dare colla recusent.
Hanc dudum Rupella, Caput per Gallica Regna
Hæreseos, toto confregerat impete Legem.
Impia quinetiam prorsus, cum Rege Britanno,
Cumq; alijs similis sociarat fœdera Sectæ
Principibus: nec iam Regemuè, Deumuè timere
Cœca videbatur: quin signa Britannica passim,
Perq; vicos, turresq; suas, & mœnia circum

Extulerat: perituso; animos hausisse rebelles
His paribusq; alijs monstrabat perfida factis.
Tum verò non vltra tibi, LODOICE, ferendos
Hos impunè homines visum: Tot crimina, tales
Excessus: animo grandi frænare proponis.
Nec mora: Dat sonitum tuba bellica, cogitur ingens,
Magnificus, florens, clarisq; exercitus armis:
Qui Rupellæos meritis terroribus agros
Compleat, & leges ipsis dare, iuraq; possit
Fluctibus, ac totum (si fas) sibi subdere mundum.
Vallatur subitò durà obsidione rebellis
Rupella, illa (inquam) vastum Rupella per orbem
Tam celebris, tituloq; haud expugnabilis vnquam
Condecorata Vrbis: sparguntur mœnia circum
Hinc inde æratæ, Mauortia corda, phalanges:
Scinditur in fossas vario pro milite campus:
Assurgunt multis hominum sudoribus actæ
Nubigeræ turres: & propugnacula (quæso)
Fortia quis numeret? queis mox Rupella dedisse
Debueras humilis collum: ni cæca fuisses.
Hic peditum locus est; Equitum illic turma locatur:
Hic pro Tormentis, queis ipsa tonitrua cedant,
Arte hominum multa duràq; attollitur agger.
Quàq; loci natura sinit, diuersa parantur
Opportuna hinc inde Viris habitacula passim
Principibus: Magni quin & tentoria Regis
Castrorum eximià lectàq; in sede leuantur.

Quis

Quis mihi iam, quid agant illic tot Martia, vates,
Agmina commemoret? vel queis terroribus ipsa
Rupella omnigeni sibi conscia criminis, intus
Angatur? qualemuè trahat per compita vitam?
Non mihi scribendi versus si gratia quæuis
Adfuerit, valeam memorando talia fari.
Anglorum interea Buchiganno sub Duce Classis,
Classis acerba minans, vastum volitare per æquor
Conspicitur: petit illa petit succurrere stricto
Antiquoq; sibi Rupellæ fœdere iunctæ.
Ni faciat: deleta ruit communis vtrisq;
Secta, iacetq; imis radicibus eruta fallax
Hæresis: & veri redit obseruantia cultus.
Aulnicios refluis quà fluctibus alluit agros
Oceanus, dictamq; furens prorumpit in vrbem:
Parua quidem, sed amœna iacet, cui Rhetia nomen
Insula, sat firmis validisq; instructa duabus
Arcibus: & forti, si raro, milite plena,
Sub Duce Toyraci, Priami cui filius Hector
Cederet, & quem non ipse expugnasset Achilles.
Hanc opportunum sibi turba Britannica portum,
Descensusq; locum, mediæ sedemq; quietis
Legerat, & magno expugnare indixerat ausu.
Quippe inde expulsis armato milite Gallis,
Posse peti plenà cum libertate sciebat
Deffendiq; Vrbem: tutòq; in Castra reuerti.
Huc vertunt proras; huc omnis flante secundo

Coniurata ratis defertur, & applicat Euro.
Protinus in terras alacri gens Anglica saltu
Desilit, & sparsis diuerberat æthera signis.
Auditur strepitus grandis: tuba classica, ciues
Aduentasse nouos (melius quis dixerit, hostes)
Inclamat: recto cursu properatur ad arcem,
Martini vulgò dictam de nomine Sancti.
Hic magnis virimq; animis contenditur: ardet
Hic Bellona fremens: hic Mars accenditur irà
Crudeli, hic totam latè se bellica virtus
Explicat: hic Anglusq; simul, Gallusq. potenter,
Seu Dux, seu Miles, quis sit, quid possit in armis
Monstrat: & ituras in sæuum gloria bellum
Imis accendit cunctorum in cordibus iras.
Per campum Tormenta tonant: mors horrida passim
Sæuit, & obiecto pleroq; cadauere gaudet
Exsaturare oculos in propria fata furentùm,
Qui numerare volet quoties insultibus Angli,
Aut scalis, alijsuè modis inuadere Castrum
Aggressi: numerasse simul se dicat oportet;
A Gallis quoties fuerint cum morte repulsi
Plurimà, & effuso fœdarint sanguine terram.
Iãq; trahi in quintũ, grauis, aspera, strictaq; mẽsem
Cœperat obsidio: cum Rex cognomine IVSTVS,
Cui virides semper nectit victoria lauros:
Offensæ vltrices, iustasq; exarsit in iras.
Nec mora: Chomberto forti Ductore paratas,

Dele-

Delectos bis mille viros conscendere naues
Imperat, obsessis qui prompta iuuamina praestent
Aduersumq; ferant inimicum pectus in agmen.
Cura tibi (ò Princeps quem Purpura nobilis ornat,
Quemq; sacros inter Romana Ecclesia Patres
Fœlix de tali tantoq; Antistite censet)
Cura (inquam) istius tibi tota relinquitur alti
Successus: te tota penes res ista recumbit.
Et iam lecta dies aderat; stat littore Classis,
Instructæ ascendunt armis animisq; Cohortes.
Regia multiuagam fluitant vexilla per æthram,
Lata opportunis inflantur carbasa ventis.
Cunctaq; victricem promittunt omina sortem.
Nec spes vana subit: nam vix deuecta per æquor
Rhetiacæ attigerat primos gens Regia fines
Insulæ, & optatis terram contingere plantis
Cœperat: attonità cum turba Britannica mente,
Consilij penè facta expers: hinc indè recursans;
Expauet, albescit, tremebundo pectore nutat:
Inq; rates proprias reditum meditatur inanem.
Sic timidæ interdum super ardua tecta Columbæ,
Dum placidæ gaudent simul indulgere quieti
Grex volucrum alisonans si fortè superuenit: omnes
Protinus effusæ vacuum per inane, volatu
Turbato fugiunt: dubiæ si tecta reuisent:
Aut si prima vnquam poterunt in claustra redire.
Haud aliter Gallis visis, fugère Britanni

Inq; suas frustrà naues studuère reuerti.
Bellandi interea studio gens Gallica flagrans
Præcipitat cursum: clamosáq; exprobrat hosti
Voce fugam: Miseri quonam sic tenditis, inquit?
Quo fugitis trepidi? date frontem, vertite pectus,
Arripite arma manu, strictoq; insistite ferro?
Audijt hæc Anglus miles, subitòq; repressis
Gressibus obiecto succlamat pectore bellum:
Bellum horrendum, ingens: vbi Mars agitatus acerbis
Deseuit furijs, vbi mors sitibunda peramplam
Colligere Anglorum statuit per vulnera messem.
Vt signum pugnæ sonuit tuba: protinus aër
Terrificis reboat clamoribus: Anglia viuat,
Hi resonant: alij respondent. Francia viuat.
Arma, arma ingeminãt omnes: dein plurima vtrumq;
Per campum volitans exultat mortis imago,
Et madidata rubet morientum sanguine tellus:
Nulla armata manus dedit irrita vulnera Galli
Militis: Anglorum nullus lethalia Gallis
Militibus (certè ni paucis) vulnera fixit.
Interea obsesso bellandi ardoribus vrens
E Castro dimissa cohors irrumpit in hostes,
Ore tonans Martem; deuotaq; corpora cladi
Innumera Anglorum tristem detrudit in Orcum.
Non tot procerà Boreas ex arbore frondes,
Nec tot falx virides è prato decutit herbas:
Quot simul hic ferro victi cecidère Britanni.

Insula

Insula tum tranquilla manet: fœlicibus omnis
Auspicijs obtenta pij victoria Regis
Creditur, & læta celebratur voce per ipsas
Anglico adhuc passim fumantes sanguine turmas.
Immensas, REX Alme Deus, largitor opimi
Cuiuscunq; boni, grates tibi tota rependunt
Agmina victrici radiantia tempora lauro,
Perpetuùmq; diem sacro signantia cultu:
Taliter eiecti inuasis è finibus Angli,
Hæreseosq; vno conflictu in Tartara pulsæ:
Vobis pro meritis tribuantur millia tantis
Præmia magnifici victores: viuite pleni
Laudis, & excelsæ per singula secula famæ.
RVPELLAE interea summis terràq. mariq;
Obsidio vrgetur conatibus: ipsaq; Regis
Egregias effert multùm præsentia mentes.
Parte omni in latos quà terra extenditur agros
Singula tuta manent: Nam propugnacula circum
Tam multa obsessæ Rupellæ mœnia cingunt,
Vt nihil hac veniat penitus pro parte timendum:
Sola subest adytus pars occludenda marini,
Quà sperare potest gens interclusa daturos
Auxilij genus omne sibi, quos fœdere Fratres,
Atque fide agnoscit sibi longo ex tempore iunctos:
Hic magnà, assiduà, longà; durà q; hominum vi
Certatur: totis hic clara industria sudat
Artubus, & iam iam domitum frœnarier æquor
Incipit

Incipit, ac fluctus (visu res mira) tumentes
Aggeris in densam Regalis frangere molem.
Nec mora, nec requies tanto datur vlla labori.
Perq; dies, noctesq; simul sudore perenni,
Maxima dum gentis vulgatæ turba ferendis
Arboribus, terris, trabibus, saxisq; laborat;
Tandem tuta manet Regi dominatio Portus,
Atque adytus cunctis hostilibus inuius armis
Redditur: & facilis remanet custodia ponti.
Hæc inter rursus renouata Britannica Classis
Vela facit: cunctasq; vias tentatque, mouetque,
Si fortè afflictis valeat succurrere rebus,
Et Rupellæas recreare vtcunq; Cohortes.
Quidquid agat, spes omnis abit: manet omnis inanis
Impetus, & vacuas abeunt vt fumus in auras
Hæreticis quotquot solertia suggerit artes:
Ostia nulla patent: adytus quicunq; negatur:
Cunctaq; Liligero parent sua littora Regi.
Interea miseram grassatur vbique per vrbem
Dira fames: quam mors rabie succensa ferali
Insequitur lentis haud passibus: vndiq; panem,
Ah panem, panem, lacrymosa voce precatur
Vulgus, & exangues animas per compita fundunt.
Et quamquam afflictis prorsus spes nulla futuri
Fulgeat auxilij; panisq; & singula desint:
Haud tamen audaces animos, haud saxea flectunt
Pectora, vel Regem sibi se præstare benignum.

Voce

Voce rogant humili: præsentem quin mage durá
Expectant facie, per quæq; instantia mortem:
Scilicet in non spe (si fas sit dicere) cæci
Sperantes, animos hoc pascere carmine gaudent,
Vna salus victis nullam sperare salutem.
O spes! ò potius fallacia cordis iniqui!
Quid facitis miseri? quo stulta rebellio mentes
Abripit? aut quo vos capitis dementia transfert?
Nonne sub Augusto satius (quæso) ante fuisset
Principe, tranquillæ decerpere gaudia pacis,
Et plenâ proprios aliosuè errando per agros
Libertate, bonis placidè præsentibus vti;
Quàm vosmet morti sponte adstrinxisse coactæ?
Et iam sol pleno cursu confecerat orbem,
Alteriusq; rotas euoluere cœperat anni.
Tandem horrenda fames, Populi durissima mollit
Pectora: consultum statuunt sibi Regis adire
Vultibus abiectis sacrum clemensq; Tribunal.
Cunctaq; quæ sua sunt, seq; eius subdere totos
Arbitrio, Imperijs, ac Legibus. Eheu faustum
Quo feruore diem niueo sub marmore sculpsit
Quotquot adhuc viuens restabat vulgus in Vrbe!
Nec mora sex lecti Ciues ex agmine toto
Ad Regem properant, & multo corda dolore
Perfusi, atq; pedes offensi Principis ante
Prostrati, tremulà vix vti voce valentes:
Pacem orant, vitam, veniam, panemq; precantur,

Seq;

Seq; suosq; omnes subdunt, veràq; loquelà
Pœnarum omne genus se promeruisse fatentur
Pro Maiestatis læso Regalis honore.
Horrendi sceleris sic quis sibi conscius, ante
Iudicis exactum trepidusq; tremensq; Tribunal
Prodit, & ambabus palmis post terga reuinctis
Atque arctà circum religatus colla catenà,
Aut veniæ expectat, vel mortis nuntia certæ.
Tum Rex pacificam primis cui finxit ab annis
E cœlo demissa alto Clementia frontem.
Qui duplici hoc dudum ditauit carmine pectus.
Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni.
Parcere subiectis, & debellare superbos.
Quiq; vel aspectu solo nimbosa serenat
Sydera, & afflictis primà vel voce medetur
Cordibus: hæc blando verè aurea verba profudit
Alloquio (arrectis tota illic Curia præsens
Mellifluos Regis sermones auribus hausit:
Et vitam ex ipsis languens Rupella resumpsit.)
Tandem ergo nostris humiles victricibus armis
Ceditis, & sanum vosmet conuertitis ad cor;
Experti quid cruda fames in corpora, quid mors,
Longa quid obsidio, virtus quid bellica possit;
Et quid subiectis animos firmasse rebelles,
Aut spreuisse sui iuuet Alti Regis honorem.
Eia agite & vestris pacis bona verba referte:
Atque ipsis Regem vos inuenisse benignum

Dicite

Dicite: qui vitam, veniamq; petitione ...
Concedit. Nec plura dehinc Rex ipse locutus,
Innumeras hilari promunt de pectore grates
Qui missi fuerant homines: omniq; salute
Magnifico optatâ Regi: lætanter in vrbem
Mox redeunt: occurrit eis super ipsamet vrbis
Mœnia perplexum vulgus: si fortè reportent
Promeritæ mortis, vel tutæ nuntia pacis.

Mox vt PAX audita: altis clamoribus aer
Completur: Tormenta tonant: tuba classica laudes
Ingeminat LODOICE tuas: Rex Optime viuas
Voce altâ clamat Populus: bella omnia cessent,
Et merito à cunctis semper celebreris honore.

Interea Ingressus pro Rege paratur in Vrbe,
Panduntur portæ, lectæ pleraq; Phalanges
Intrant, quæq; sibi signatâ in sede locatur,
Hic Equitum phalerata cohors: hic turma pedestris,
Hic vulgata manus certâ in statione iubetur
Stare, & ne fiant vlli vigilare tumultus.
Per turres, muros, & propugnacula quæuis,
Gallica signa volant: sparguntur Lilia passim,
Ipsaq; diuerso decorata tapete viarum
Strata, quid haud minimũ, reliquis splẽdoribus addũt,
Tum demum auratis magnâ stipante cateruâ
Regia Maiestas præfulgens intrat in armis.

Attoniti Ciues ad tanti lumina Solis
Demittunt humiles oculos: nec cernere contra

Audent

Audent, nam veterum prohibet mens rite malorum
Conſcia: depoſito ſed mox vtcunq; timore.
Viuat REX, viuat, viuat, pleno intonat ore
Quilibet: & multis applauſibus æthera complent.
Tum verò ſacri ceremonia ſplendida cultus
Ordine præclaro diſponitur: atq; triumphans
REX Regum mediam Chriſtus (res mira) per vrbem
Sub ſpecie panis defertur: Cantica mille,
Mille hymni, cantusq; pij: mille aera frangunt
Concordi varioq; ſimul modulamine plectra.
Hic poſt innumeram Procerumq; Ducumq; cateruā,
Poſtq; alios: REX ipſe pedes ſub veſte modeſtà
Conſpicuus graditur: cunctos rapit inclita tanti
Principis, vt pietas, ſic qualibet altera virtus.
MISSA dehinc ritu Romano à Præſule grandi
Dicitur: & dignis pro laudibus hoſtia Chriſtus
Offertur Patri æterno. Sicq; omnibus actis
Vrbs omnis tandem ſecurà in pace quieſcit.
Quis mihi iā miſerā quot morsq; famesq; per vrbē
Graſſatæ longum ſæuo cum Marte per annum
Ediderint ſtrages referat? quot corpora triſtem
Dimiſere ferà rabie pallentia ad Orcum?
Mira canam, ſed vera tamen: centeſima vix pars
Euaſit gelidæ prædurùm mortis agonem.
Multi etiam extructis pro ſe, per ſe ante ſepulchris
Tardam obiurgantes optata in funera mortem,
Sunt viſi ante obitum ſeſe incluſiſſe ſub ipſis.

Quodq;

Quodq; animus meminiſſe horret: pro pane ciboq;
Ipſa caro ventres quorundam humana repleuit.
Eheu quo cæcas inſana rebellio mentes
Verſat, & extremum quàm multis vrbibus affert
Excidium: quantasq; domos ad nulla reducit!
Iamdudum obſeſsis (vt paucis omnia dicam)
Vt caro, ſic piſces, & quæq; legumina, & herbæ,
Et quæuis tritici ſpecies, ſpesq; omnis habendi
Vel minimi auxilij (verbo vno) ſingula deſunt.
Et tamen horribilem potius gens perfida mortem,
Totalemq; ſui mauult perferre ruinam:
Quàm quid Magnifici poſsit Clementia Regis
Erga humiles animos, veniam quærendo, probare.
Scilicet occultis miſerorum pectora vinclis
Obdurata tenet Prædo Infernalis, & vſque
Stat vigil extremam lacrymoſæ mortis ad horam:
Vt quotquot totâ Populi verſantur in vrbe
Extinctos fato ſecum deportet in ignes,
Horrendos ignes Erebi: perdatque: priusquam
Facti humiles Regi, doceantur verba ſalutis,
Et Fidei incipiant Romanæ agnoſcere lumen.
O vos fœlices cœleſtis gratia quotquot
Cladibus è tantis ſaluos ſeruauit in iſtum
Vsque diem! vt tenebris tandem de mente fugatis
Sacra ſalutiferæ diſcatis dogmata Legis,
Et recto ad cœlos ſumatis tramite curſum.
AT TIBI pro tãtis meritis LODOICE repẽdat

Innu-

Innumeras fœlix tua reddita Francia grates:
Lætitiæ paſsim reſonent per ſydera cantus:
Feſta triumphales omnis tibi turma coronas
Nectat: & æternà cingat tua tempora lauro.
Ipſa etiam Rupella tuas ſuper aſtra perenni
Applauſu extollat ſummo conamine laudes.
VIVE diu Populisq; tuis, Regnoque; Deoq;
Gratus: & æternùm per quæuis prœlia Victor:
ROMA tibi hos puro promit de pectore verſus:
Roma patens tibi cor exili hoc carmine profert.
Roma (inquam) illa tuis quæ vltrò victricibus armis
Publica lætitiæ quamplurima ſigna dicauit.
Roma in qua Domini (res rara, & mira relatu)
Maieſtas viſa eſt PAPAE, per ſtrata viarum
Iſſe pedes: feciſſe Sacrum: gratesq; dediſſe
Immenſas Sacræ TRIADI: ſub nomine Regis
Victoris, cuius tenero certè ardet amore:
Et quem nec præſens vnquam, meliorvè futura
Sat dignè meritis decorabit honoribus ætas.

FINIS: VIVAT REX.

